



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Secvnda Controuersia. An etiam charitas & aliæ Virtutes in Christo
secundum propriam rationem sint infinitæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Secunda Controuersia

An etiam charitas & alia Virtutes in Christo secundum propriam rationem sine infinitate?

Sententia
Doctorum.

ASTVR. in sua Relectione de gratia Christi, quest. 3. art. 2. ad 4. suum argumentum: dicit duo. Primum est, neque charitatem, neque ceteras supernaturales animæ Christi virtutes, neque lumen gloriæ, neque visionem beatam aut quemlibet alium habitum vel actum esse moraliter infinitum absolute loquendo. Secundum est, infinitatem illam, quæ competit lumini gloriæ & visioni beatæ in anima Christi, prout disponit animam ad vniōnem cum Verbo, esse ei quasi extrinsecam, nec perficere visionem in ratione visionis, licet eam perficiat in ratione entis. Sicut (inquit) perfectio, qua humanitas Christi perficitur & dignificatur ex vniōne ad Verbum, est illi extrinseca & non perficit ipsam in ratione humanitatis, sed tantum realem & infinitam quandam moralem illi tribuit dignitatem; quæ tamē nihil attinet ad essentialia humanitatis principia. Cæterum gratia per illam dignitatem, quam attingit in Christo, prout disponit ad vniōnem hypostaticam, vere dignificatur & perficitur in ratione gratiæ, eo quod proprium est ipsi gratiæ perficere subiectum, & disponere ad vniōnem cum Deo, non solum secundum operationem, sed præsertim secundum esse.

Sed oppositam sententiam, videlicet virtutes Christi Domini tam infusas, quam acquisitas esse multipliciter infinitas, docent primo quidem S. Thom. in specie de charitate in 3. dist. 19. q. 1. art. 1. q. 1. Capr. in 3. dist. 18. q. unica, ad 4. Scoti contraprimam concl. Idem affirmat de quibusdam virtutibus: Et Altiſiodorensis lib. 3. tractatu 1. cap. 5. & Suar. disp. 22. sect. 1. in fine prædictam virtutibus omnibus Christi Domini tribuit infinitatem; quam sententiam sequitur Aluar. disp. 34 in respons. ad vltimum argumentum.

Resolutio. SUPPONENDÆ sunt hic primo distinctiones illæ, quas posuimus & explicauimus in præcedenti Controuersia, & præsertim 5. & 6. cum vltimo notabili.

Secundo sciendum est, hic sermonem esse de infinitate, prout extenditur ad physicam & moralem; ita vt quæsitum hoc non minoris sit amplitudinis, quam præcedens de Christi gratia.

Tertio notandum est quæstionem hic esse de virtutibus tam supernaturaliter infusis, quam naturaliter acquisitis.

Quarto considerandum est, differentiam esse inter gratiam & virtutes; quod gratia secundum propriam rationem dicit ordinem ad subiectū, quia participatio quædam est diuinæ naturæ faciens intellectualem seu rationalem creaturam diuinæ naturæ consortem, vt dicitur 2. Petri 1. & confrens illi esse diuinum; at Charitas & ceteræ virtutes tam supernaturales, quam naturales secundū propriam rationem & per se primo ordinantur ad obiecta; commune tamen est virtutibus moralibus & gratiæ, vt sint dispositiones morales humanitatis ad eius vniōnem hypostaticam cum Verbo. Sicut enim gratia, sic & virtutes decorem & ornamentum contulerunt humanitati, vt congrue posset vniri Verbo: Quamuis enim virtutes ex propria ratione non respiciant subiectum, sed obiectum, propria tamen & specifica bonitas singularum in eas ex obiecto deriuata speciale conferunt ornamentum humanitati, vt congrue possint assumi. Deinde subiectum actuant ac perficiunt, non solum secundum esse communiter sumptū,

A sed etiam secundum propriam suam essentiam rationem & esse specificum. Sicut enim albedo parietem informat, nō solum secundum esse accidentis aut qualitatis vt sic, sed etiam vt albedo est, ac proinde parietem facit non solum habentem esse accidentale, aut esse quale, sed etiam esse album; ita charitas non solum facit animam supernaturaliter qualem, sed etiam diligentem Deum, & hac ipsa ratione in anima Christi fuit dispositio moralis ad vniōnem cum Verbo personalem. Quod idem proportionaliter dicendum est de ceteris virtutibus, & de visione beatifica, & lumine gloriæ.

Quinto sciendum est differentiam esse inter gratiam & virtutes infusas ex vna parte, & scientias naturales & alia accidentia ordinis naturalis in Christo ex alia parte: quod gratia & virtutes infusæ, quia sunt ordinis supernaturalis, ideo disponere possunt moraliter humanitatem ad vniōnem cum Verbo personalem; quæ est ordinis supernaturalis: at scientiæ naturaliter acquisitæ & alia accidentia naturalia, tam corporea quam spiritusalia, cum ad dignitatem supernaturalem ordinis nō attingant, dispositiones ad vniōnem supremi ordinis supernaturalis esse non possunt: Nam, vt ait S. D. 1. p. q. 12. art. 5. Omne, quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam. Immo scientiæ naturales & accidentia naturalia, vt opinatur Aluar. nullam ex diuino supposito, cui mediante humanitate sunt vnita, recipiūt infinitatem, quia dignitas (inquit) suppositi non redūdat in dignitatem & excellentiam scientiæ, eo quod est habitus speculatiuus, sicut etiam non redundat in dignitatem albedinis, sed concomitanter & quasi per accidens se habet: Non enim albedo Christi est perfectior in ratione intrinseca albedinis, quam si esset in alio supposito creato. Sed hac ratio dupliciter deficit; Primo: quia extenditur etiam ad scientias supernaturales, puta ad visionem beatificam, quæ tamen, cum sit ordinis supernaturalis & exorietur supernaturaliter humanitatem, disponit eam vt congrue possit assumi. Quod idem dicendum est de aliis accidentibus ordinis supernaturalis. Secundo deficit, quia licet albedo & similia accidentia ex vniōne cum Verbo non fiant intrinsece perfectiora secundū esse naturæ, quandam tamen ex ea moralem con-

D trahunt dignitatem, ratione cuius singularis debita est illis reuerentia, quæ dignitas suo modo est infinita; sed moralis hæc dignitas non ea est, quæ conferat ad meritum & valorem honestatū operationum: solæ namque operationes liberæ sunt huius valoris capaces, vel etiam earum principia, quatenus earum principia sunt, vt etiam aduertit Suar. disp. 22. sect. 1. in fine.

Sexto considerandum est, virtutes omnes supernaturales ex gratia deriuari, sicut ex animæ essentia resultant passionibus & operatiuæ potentiæ, vt ait S. D. in 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1. Vbi sic loquitur: Sicut ab essentia animæ effluunt eius potentiæ, quæ sunt operationum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentia mouentur ad actum: & secundum hoc gratia comparatur ad voluntatem, vt mouens ad motum, quæ est comparatio fessoris, ad Equit. Et in respons. ad 2. ait gratiam esse principium operis meritorij mediāntibus virtutibus, sicut essentia animæ est principium operationum vitæ mediāntibus potentiis. Ex quibus manifeste sequitur, virtutes in Christo eandem proportionaliter habere perfectionem & physicam infinitatem, quam habet gratia; Probatur hæc illatio: quia virtutes Christi gratiæ conſequantur secundum totam

Aluar. & primo.

Consuetudo.

Christi virtutes eandem proportionem habere perfectionem & infinitatem cum nobis causantibus virtutibus, quæ habet gratia Christi resp. ad gratia ceterorum hominum.

tam eius physicam perfectionem absque limitatione. Cum itaque gratia Christi physice sit infinita, consequens etiam est, ut virtutes ex ea derivatae similem habeant infinitatem. Antecedens probatur: quia nihil apparet impediens Christi gratiam, quo minus tota sua potestate virtutes emittat. Cum autem, ut diximus, duplex sit infinitas gratiæ ratione distincta, altera illi conueniens secundum essentiam suæ perfectionem, & altera prout causa est vniuersalis omnium effectuum gratiæ, vtrique suo modo cuilibet inest virtuti Christi supernaturali: Prima quidem; quia sicut gratia Christi omnem habet perfectionem suæ speciei possibilem secundum Dei potentiam absolutam sine limitatione, & ideo est infinita negatiue, ut ostensum est in *precedenti Controversia*, ita quælibet eius virtus infusa totam habet suæ speciei possibilem perfectionem absque limitatione, ac proinde est infinita negatiue; hoc enim infinitæ Verbi dignitati maxime congruebat. Altera autem infinitas in effectiua & exemplari virtute consistens, sicut gratia Christi sic & eius virtutibus inest, iis præsertim quæ ad ordinem pertinent supernaturalem: Sicut enim ex Christi gratia, velut ex instrumento diuinæ personæ coniuncto cæterorum omnium hominum gratia deriuatur; sic ex Christi Charitate tanquam instrumento Verbo coniuncto charitas emanat omnium hominū Deum supernaturaliter diligendum: Quod idem de cæteris virtutibus existimandum est. Et sicut gratia Christi causa est exemplans omnis humanæ gratiæ, ita charitas charitatis, & Religio Religionis, & sic de singulis; & sicut ab vna essentia animæ mediis potentiis tot specie diuersi causantur effectus (namper intellectum speculativum specie perfectum producit intellectionem & eius terminum, & per eandem ut practicus est specie & conceptione perfectum producit artificiatum simile ipsi intellectui vt conceptione formato, similiter per voluntatem, quæ impulsus quidam est, cauatur volitio & eius terminus, ut alius quidam impulsus, &c.) Sic ab vna gratia mediis virtutibus vt eius potentiis causantur virtutes omnium hominum supernaturales, charitas scilicet media charitate, & religio media religione, &c. ita ut vnaqueque virtus vniuersalem habeat causalitatem respectu virtutis eiusdem rationis in hominibus etiam infinitis, si tunc esse possent, causandæ: sola vero gratia instar primæ causæ vniuersalem simpliciter habet causalitatem ad gratias omnium hominum, & virtutes eorum infusas in eis efficiendas extensam.

Christi vir-
tutes inae-
quales sunt
naturae re-
flexivae su-
per seipsum
superfluum
peculiarem ha-
bere infi-
nitatem cau-
sa Christi
virtutibus
minime con-
venientem;
quae tamen
inest intel-
lectui ex
voluntati.

Ultimo notandum est, quasdam esse virtutes, quae
suae naturae reflexivae sunt super ipsam perio-
nam operantem, ut iustitia commutativa in ea
parte, quae versatur circa actiones iniustiarum per
actus satisfactionis; & humilitas, quae personam
humiliat alteri subiecti per actus proprios; &
charitas quatenus meriti principium est; sic e-
nim personam merentem subiicit illi apud quem
meretur; & religio, cuius est Deo debitum cul-
tum exhibere, ut supremo omnium Domino, &c.
Quae virtutes in Christo supra ceteras peculiari
habent infinitatem, eo quod per actus suos per-
sonam divinam Deo subiiciebant summo modo
morali quo subiici potest: ex hac enim reflexione
peculiarem quandam habent infinitatem mora-
lem personalem, de qua late diximus *supra* q. 1. ad 2.
contra 2. Ceterae vero Christi virtutes, quae reflexivae
non sunt, hanc non habent infinitatem; Exem-
pli gratia; iustitia Christi commutativa erga ceteros
homines non subiiciebat eis ipsam Christi
personam, sed res duntaxat exteriores, & ideo pra-
eterea in d. Thom. 3. partem.

dictam non habebat infinitatem : & quamvis actus huius iustitiæ, quatenus erat meritorius, Christi personam Deo subiiciebat, & hac ratione esset moraliter infinitus, hoc tamen non habebat ex propria ratione talis commutatiuæ iustitiæ, sed quasi per accidens ex imperio charitatis, à qua talis iustitiæ actus imperabatur, ac preinde infinitas illa non in iustitiam hanc commutatiuam, sed in charitatem est referenda. Quod idem dicendum est de Temporalia & aliis virtutibus, ac eorum actibus minime reflexiuis.

*Ex dictis sequitur intellectum & voluntatem Christi eas omnes prædictas, quæ virtutibus in-
runt, infinitates habuisse. Nam vt supra diximus, ista potentia summam suis naturis (specificis pos-
sibilem perfectionem attingebant, & causæ quo-
dammodo erant exemplares cæterarum similium
potentiarum in humana natura, quæ possunt in
infinitum à Deo creari, secundum quæ duo attē-
ditur infinitas physica. Deinde media humana ita
sunt vnita personæ Verbi, & eam exornant, vt
vniōi sit apta siue congrua, quæ sunt duæ ratio-
nes moralis infinitatis. Postremo simul cum vir-
tutibus principia sunt actuum, qui rationem hab-
ent moralis infinitatis, eo quod rebeantur su-
per ipsam infinitam diuinæ Verbi personam; igitur
eamdem habent intellectus & voluntas infinita-
tatem. Quod etiam affirmat Capr. in 3. dist. 18. quæ-
st. 1. ad 4. Scoti contra primam concl. verba vero S.
Th. in quolibet 3. art. 3. ad 3. quæ sonare videntur op-
positum, explicabuntur in responsionib. ad argum.*

PRIMA CONCL. Virtutes omnes Christi superna- Concl. fis-
turales duas habent physicas infinitates, & duas morales nes de de
ratione distinctas. Hæc patet ex dictis. sta, & pro
bata

SECUNDA CONCL. Virtutes illæ, quarum actus su-
pra Ch. isti personam reflectebantur, præter quatuor infi-
nitates prædictas, aliam etiam habebat ex dicta reflexio-
ne derivatam. Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Intellectus & voluntas Christi
predictas omnes habebant infirmitates.* Hæc patet ex di-
ctis. Et probatur etiam: quia intellectus & volun-
tas sunt principia eorum actuum, qui super ipsam
diuini Verbi personam reflectuntur, puta actus
iustitiæ ad Deum commutatiuæ, religionis, obe-
dientiæ, humilitatis, &c. quibus persona Verbi
Deo subiiciatur: Cum igitur hi omnes actus
subditi sunt infirmitati, etiam intellectus & volun-
tas sunt infirmi.

ob dictam finem non elicit moraliter infiniti,
consequens etiam est, vt & ipsa potentia, quæ
sunt earum causæ, eandem habeant infinitatem:
Probatur illatio: quia perfectio & infinitas effe-
ctus præexistit in causa eius effectiua. Hanc autem
infinitatem habent intellectus & voluntas Christi
ex diuino supposito dupliciter: Primo, quate-
nus eius sunt potentia mediante humanitate illi
coniunctæ. Secundo, quatenus feruntur in ipsam
diuini Verbi personam simpliciter infinita Deo
subiiciendam, in eam autem feruntur, nõ per vir-
tutem suam naturalem, sed actuante specie & cõ-
ceptione diuinæ personæ, vt forma & ratione a-
gendi in intellectu recepta, & ad voluntatem ex-
tensa, non solum vt eius obiectum & finis, sed etiam
vt agendi principium modo satis à nobis alibi
declarato. Ex hac autem vnione diuinæ perso-
næ cum intellectu Christi & voluntate fit vt tam
intellectus, quam voluntas supernaturalium or-
dinem ingrediantur, & vnum quodammodo. fiat
cum ipsa diuina persona intellectus & volita, &
sint vnum cum ea principium dictorum actuum.

QVARTA CONCL. Eadem infinitas, quam Christi
Domini intellectus & voluntas habebant, tribuenda est
etiam humanitati. Hæc sequitur ex præcedenti: Nā
prima radix potentiæ & operationum reflexi-
uarum est humanitas, quæ etiam sola immédiate

Ii Verbo

Verbo coniungitur; ergo iam dictam præhabet A infinitatem.

ULTIMA CONCL. *Accidentia Christi ad ordinem naturalem pertinentia tam corporea, quam spiritualia vnam solam moralem prædictis omnibus inferiorem habent infinitatem.* Probatum quia coniunguntur diuino supposito; igitur ex eo singularem quandam contrahunt dignitatem moralem, ut propter hanc vntionem peculiari veneratione sint digna; quæ dignitas suo modo est infinita: differt tamen dignitas hæc moralis à dignitate morali potentiarum, virtutum & operationum, quia nihil cõfert ad meritum aut valorem bonarum ac liberarum operationum, quæ solæ cum suis principiis sunt menti & valoris moralis capaces.

Obi. 1. conl. **CONTRA primam conclus.** argumentatur A. stur. **1. conl.** *Primo:* quia virtutes illæ non habent intentionem infinitam, neque attingunt obiectum modo infinito; ergo. *Resp.* nullam esse consequ. quia dictarum virtutum infinitas non exigit infinitam intentionem, neque ut infinito modo virtutum actus attingant obiectum, sed satis est, si perfectionem omnem habeant suæ speciei possibilem secundum Dei potentiam absolutam, & sint causæ exemplares similibus virtutum in humana natura, & vniantur personæ Verbi, exornentque coniunctionem illius cum humanitate, & reflectantur modo superius explicato super ipsam diuini Verbi personam.

Solut.

Obi. 2.

Secundo: quia licet actus charitatis Christi fuerit infiniti valoris, ac proinde meritorius & satisfactorius infinitis, hic tamen infinitatis valor non illi ex charitatis habitu proueniebat, sed ex habitu gratiæ; ergo neque charitas neque eius actus est infinitus: Antecedens probatur: quia totus ille valor in actu charitatis Christi, & in qualibet eius operatione desumebatur ex sola operantis dignitate, & non ex modo attingendi obiectum: At quod operans, nimirum Christus, haberet infinitam dignitatem coram Deo, essetque infinite gratus & acceptus, non ex habitu charitatis aut ex alio quocunque habitu operatio desumebatur, sed ex habitu gratiæ; cuius proprium est cõstituere habentem gratum & acceptum Deo; ergo. *Resp.* duplicem esse causam infiniti valoris in actibus charitatis: alteram primam & radicalem; quæ duplex est; quædam creata; & quædam increata; alteram proximam & formalem (comprehendendo pro nunc principium formale sub causa formali.) Si sermo sit in antecedente de causa radicali in creata & prima simpliciter, falsum est antecedens, hæc enim non est gratia sed persona Verbi; Si vero sermo sit de causa radicali, quæ prima est causarum creaturarum, hæc est humanitas vnita Verbo, & post eam est gratia; Si denique sermo sit de causa proxima, quæ est principium formale proximum, negatur etiam antecedens: causa enim hæc proxima infinitatis in actibus charitatis est ipsa charitas, quæ ante suos omnes actus est infinita formaliter modis iam dictis; quamuis eius infinitas ex infinitate Verbi & gratiæ deriuetur, velut ex radicibus subordinatis. Ad probationem autem antecedentis, admissa prima propositione, dico primo, falsam esse secundam propositionem asserentem infinitam Christi dignitatem ex habitu gratiæ fuisse deriuatam, prima namque & propria causa quasi formalis dignitatis Christi, est ipsa diuini Verbi persona, non autem gratia. Secundo nego consequentiam. Valde namque diuersi sunt effectus, esse gratum & esse meritorium ac satisfactorium; primus est à gratia ut propria causa formali, secundus autem est à gratia ut prima radice creata, à charitate vero ut

Solut.

propria causa: infinitas autem meriti & satisfactionis, ex infinita diuinæ personæ dignitate est ut radice prima simpliciter, ex humanitatis autem infinitate ut causa minus remota, & postremo ex charitatis infinitate ut causa proxima.

CONTRA eandem conclus. sunt argumenta, quæ proponit & soluit Aluar. *diffut. 3. 4. in respons. ad 3. suum argumentum.*

CONTRA tertiam conclus. produci potest dictum *Obi. conl. 3. D. Tho. quolibet 3. art. 3. ad 3.* Vbi sic loquitur: *Vo. conl. lunt as anima Christi est virtus finita simpliciter, sicut & intellectus eius, meriti autem Christi habet infinitatem ex dignitate, in quantum est meritum Dei, & hominis.* *Resp.* S. D. ibi loqui de merito, & de intellectu *Solut.* & voluntate secundum ea, quæ singulis iis propria sunt ex ratione sui generis. Quemadmodum itaque meritum dicit aliquid pertinens ad genus moris, & illo genere meritum Christi est infinitum simpliciter, ideo S. Thom. tribuit illi infinitatem simpliciter, scilicet in genere morali, quamuis in genere physico sit actus finitæ intentionis, atque ideo non habeat infinitatem: Intellectus autem & voluntas Christi Domini, & aliæ eius potentie dicunt aliquid pertinens ad genus physicum, in quo genere non ita sunt simpliciter infinitæ, ut sint sufficientes ad eliciendum actum phyce infinitum. Non tamen negat ibi S. D. Intellectum & voluntatem habere moralem infinitatem ea ratione, quæ principia sunt operationum moralium infinitarum, de quibus supra.

CONTRA vltimam conclus. largum. Aluar. *Quo. Obi. conl. 5. conl.* *niam infinitas suppositi non redundat in excellentiam & dignitatem scientiæ, quæ est habitus speculatiuus, nec in dignitatem albedinis, sed cõcomitanter omnino & quasi per accidens se habet; ergo hæc nullam habent infinitatem.* Antecedens probatur; quoniam albedo Christi non est perfectior in ratione intrinseca albedinis, quàm si esset in alio supposito creato. *Resp.* falsum est *Solut.* antecedens. Ad probationem negatur consequentia. Nam sequitur tantum albedinem ex coniunctione cum Verbo non habere maiorem excellentiam, & dignitatem in esse suo specifico & naturali, non autem probat eam ex tali vnione non acquirere dignitatem in esse morali.

Tertia Controuersia.

An gratia Christi sit eiusdem speciei cum gratia ceterorum hominum iustorum, & Angelorum?

CAIET. *super hoc articulo,* docet Christi gratiam *Sententia Doct. 1. 2.* habitualem & aliorum tam hominum, quam Angelorum esse eiusdem infimæ speciei quo ad essentiam, sed diuersarum rationum quo ad modum essendi, eo quod gratia sit in Christo ut in toto illam adæquante secundum se, & ut in subiecto & principio vniuersali gratiæ, in omnibus autem aliis sit ut in partibus inadæquatis ipsi gratiæ secundum se, & ut particulariter participantibus, & ideo (inquit) quantumcunque crescat aliorum gratia, nunquā peruenire potest ad quantitatem intensiuam vel extensiuam gratiæ Christi. Quam sententiam sequuntur Medina in sua q. 2. ad hunc artic. Valentia puncto 1. in 3. quæstio. & ab ea parum aut nihil distat opinio ab A. stur. relata q. 3. art. 2. in resp. ad 6. suum argum. Quidā enim asseriebant Christi gratiā essentialiter esse eiusdem speciei cum nostra, sed ex parte subiecti seu suppositi esse speciem differentem & hanc speciem seu differentiam dicebant esse modalem, adhibentes exemplum